Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

18

Increpuerunt me iudei sed in hys attente et provide
Aspiciebam dnm assistentem in conspectu meo semper ut
omnia iuxta voluntatem suam agerem omnia transitura
contempnerem / qui a dextris est michi ut ego stabilis perma-
neam et ideo nichil sinistri michi prevaleat
Propter hoc quia ita favet michi dns ut stabiliter ego
permaneam letatum est cor meum gaudio interiori et exulta-
vit lingwa mea exterius alacri sermone insuper preter pre-
dicta caruit michi letitia quia caro mea non deficiet in inte-
ritu ut inimici mei existimant sed in spe resurrectionis requi-
esceret tamquam dormiens in sepulchro
Letatum est insuper cor meum Quoniam non derelinques
more eorum animam meam in inferno ubi descendam ad li-
berandum sanctos sed gaudens et triumphans capta pre-
da reunitam corpori ascendam in celos nec pacieris corpus
meum a te sanctificatum / videre putrefactionem
Non solum predicta facies vmo iam per me Notas fecisti
hominibus vias vite ut in mandatis tuis humiliter ambu-
lantes mortifere superbie venena declinarent et adimple-
bis eos letitia cum vultu tuo ut nichil ultra desiderent
cum facie ad faciem te viderint in quibus ego sum qui
etiam delectationes habebunt in bonis tuis eternis sine
fine duraturis

Ps 16 In quo est oratio xpi ad patrem pro se et ecclesia

Vox xpristi ex humanitate.

Exaudi domine iusticiam
meam clamantem ad te, impleas quod
iusticia mea petit et diligenter ausculta ad